



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 161. Alphonsus juri suo in Mediolanensem Ducatum cedens

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. nio olim subjectæ aggrediebantur, ea-  
A. C. 1447. rum tamen nulla consilium exequi pote-  
 rat; partim enim a Venetis, partim a  
 Sfortia, aliisque Principibus omnes istæ  
 urbes occupatæ fuerunt.

## §. CLXI.

*Alphonsus juri suo in Mediolanensem  
 Ducatum cedens.*

*Æn. Sylv. Europ. c. 49.* Alphonsus insigni prorsus, ac plane in-  
*Antonin. tit. 22. e. 12.* solita moderatione usus, ne totius  
*Platin. in Nicol. V.* Italiæ imperium affectare videretur, aut  
*Marian. lib. 22. cap. 5.* adversus se Galliam, Germaniam, Pon-  
*Surita 1. 16.* tifices, omnesque Italiæ Principes con-  
 citaret, a jure suo prosequendo destitit;  
 ad hoc eo vel maxime motus, quod no-  
 vum interea bellum in Florentinos mo-  
 visset specietenus quidem, ut omnibus  
 suis ditionibus pacem procuraret, Duca-  
 tumque Mediolanensem tueretur, re ta-  
 men ipsa ut Hetruriam (prout Florentini  
 suspicabantur) occuparet, illud vero haud  
 ei pro voto successisset. Scribit Paulus  
 Jovius, Philippum ante obitum suum diu  
 agitate animo, an Alphonsum Regem  
 Sfortiæ genero suo præferret, ut hujus  
 ope Venetæ gentis ambitionem frangere  
 posset; tandem vero devictum amore  
 erga Filiam suam Blancam, quæ jamjam  
 in spem imperii Filium genuerat, Fran-  
 ciscum Sfortiam adoptasse, quamvis  
 Medio-

Mediolanenses id ægerrime ferrent, eo-  
 quod totam brevi regionem suam Hispa-  
 norum colonis repleri pertimescerent.

Ita quidem Jovius factum enarrat: vero  
 tamen similius est, quod nullus a Phi-  
 lippo hæres constitutus fuerit, proin va-  
 lidius præ reliquis jus in totam hæredi-  
 tatem Duci Aurelianensi Valentina ejus  
 Mater tribuere videbatur; Philippum  
 enim hanc conditionem addidisse refe-  
 runt Auctores, ut si absque liberis dece-  
 deret, ipsius Valentinae Filii, legitimique  
 successores toto Principatu potirentur.  
 Ceterum hæc controversia fati arbitrio  
 dirempta est, & Principatus, postquam  
 Mediolanenses per plures annos a diver-  
 sis, quæ imperium affectabant, factioni-  
 bus acriter divexati fuerant, demum  
 Francisci Sfortia Ducis dominio cessit:  
 hinc uberrima novorum, gravissimorum-  
 que motuum seges excrevit.

§. CLXII.

*Casimirus acceptato Poloniæ Regno  
 coronatus.*

Casimirus post longas admodum pro-  
 craftinationes, tandem Poloniæ co-  
 ronam sibi dudum oblatam acceptabat,  
 qua & die vigesima sexta Junii Craco-  
 viae redimitus est. Altera post inaugu-  
 rationem die, quæ ad recipiendum de  
 more

sæcul. XV.  
 A. C. 1447.